

In I. Nocturno.

Añā. Ave grátia plena, Dóminus tecum.

Añā. Benedícta tu inter mulieres, et benedíctus fructus ventris tui.

Añā. Ne tíneas María : invenísti grátiam apud Dóminum.

V. Deus omnipotens præcínxit me virtúte. **R.** Et púsuit immaculátam viam meam.

De Parábolis Salomónis.

Lectio j. Cap. viij. bet ix.

GGO sapiéntia hábito in consilio, et erudítis intérsu cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum : arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decérnunt : Per me principes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo : et qui mane vígilant ad me, invénient me.

R. Sapiéntia quæ attingit a fine usque ad finem fórtiter, et dispónit ómnia suáviter, ædificávit sibi domum. * Ecce taberná-

culum Dei cum homínibus. **V.** Vidi sanctam civitátem, Jerúsalem novam, parátam sicut sponsam, ornátam viro suo. — Ecce tabernáculum.

Lectio ij.

MECUM sunt divítiae, et glória, opes supérbæ, et justítia. Mélior est enim fructus meus auro, et lápide pretiósio, et genímína mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípío. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fieret. Nondumerant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constítierant : ante colles ego parturiébar.

R. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília in tránsitu aquæ, * Sic fulget Virgo immaculáta. **V.** Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis mei vobíscum. — Sic fulget.

Lectio iij.

BEÁTUS homo qui audit me, et qui vígilat ad foras meas quotidie, et observat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salutem a Dómino : qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes, qui me odérunt, diligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnam septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancillas suas ut vocárent ad arcem, et ad mœnia civitátis : Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

R. Surge amíca mea, speciósá mea, et veni colúmna mea. * Osténde mihi faciém tuam, sonet vox tua in áuribus meis. **V.** Vox túrturis audíta est in terra nostra. — Osténde. **Gloría.** Osténde.

In II. Nocturno.

Añā. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Añā. Sanctificávit tabernáculum suum Altis-

simus : Deus in médio ejus, non commovébitur.

Añā. Dóminus possédit te in inítio viárum suárum : et in caritáte perpétua diléxit te.

V. Adjuvábít eam Deus vultu suo. **R.** Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio iv.

ANNO quarto a dogmática definitióne de Immaculáto beátæ Virgínis Concéptu, ad Gavi flúminis oram prope óppidum Lourdes diocécis Tarbiénsis in Gállia, ipsa Virgo in rupis sinu super specum Massabielle puéllæ cuidam, vernácula lingua Bernadette nuncupátæ, paupérrimæ quidem, sed ingénuæ ac piæ, plúries se conspiciéndam óbtulit. Immaculáta Virgo juveníli ac benígno videbátur aspéctu, nívea veste níveoque pállio contécta, ac zona cærulea succincta : nudos pedes áurea rosa ornábat. Primo apparitiónis die, qui fuit undécimus Februárii anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, puéllam signum crucis rite piéque faciéndum edócuít, atque ad sacri rosárii recitatiónem, exémplo

suo, coronam, quæ prius ex brachio demissa pendebat, manu advolvens, excitavit: quod in ceteris etiam apparitionibus præstitit. Altera autem apparitionis die, puella in simplicitate cordis sui, diabolicam fraudem timens, lustralem aquam in Virginem effudit: sed beata Virgo, leniter arridens, benigniorem illi vultum ostendit. Cum vero tertio apparuisset, puellam ad specum per quindecim dies invitavit. Exinde eam sæpius est alloquuta, ac pro peccatoribus orare, terram deosculari, poenitentiamque agere est hortata: deinde imperavit ut sacerdotibus ediceret, ædificandum ibi esse sacellum, solemnisque supplicationis more, illo accedendum. Mandavit insuper ut e fonte, qui sub arena adhuc latebat, sed mox erat erupturus, aquam biberet eaque se abstergeret. Denique die festo Annuntiationis, percontanti enixe puellæ illius nomen, cujus aspectu toties dignata fuerat, Virgo, admotis pectori manibus elatisque in cælum oculis, respondit:

Immaculata Concéptio ego sum.

✠. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consurgens, * Pulchra ut luna, electa ut sol? ✠. Ipsa est colúmba mea, perfecta mea, immaculata mea. — Pulchra.

Lectio v.

Percrebrescente fama beneficiorum, quæ in sacro specu recepisse fideles dicebantur, augebatur in dies hominum concursus, quos loci religio ad specum advocabat. Itaque prodigiorum fama puellæque candore motus Tarbiensis Episcopus, quarto ab enarratis anno, post juridicam factorum inquisitionem, supernaturales esse apparitionis notassua sententia probavit, cultumque Virginis Immaculatae in eodem specu permisit. Mox ædificatum sacellum: ex illa die pene innúmeræ fidelium turbæ, voti ac supplicationis causa, ex Gallia, Belgio, Italia, Hispania ceterisque Europæ provinciis necnon ex longinquis Americæ regionibus quovis anno illuc adveniunt, nomenque Immaculatae de Lourdes ubique terrarum inclaré-

scit. Fontis aqua in cunctas orbis partes delata, ægris sanitatem restituit. Orbis vero catholicus tantorum memor benefactorum, ædes sacras mirabili opere ibi exstruxit. Vexilla innúmera, acceptorum beneficiorum veluti monumenta, illuc a civitatibus ac gentibus missa, ædem Virginis miro ornatu decorant. In hac sua veluti sede Immaculata Virgo jugiter colitur; interdiu quidem precibus, religioso cantu solemnibusque aliis caeremoniis; noctu vero sacris illis supplicationibus, quibus infinitæ propemodum peregrinantium turbæ cæreis facibusque accensis procedunt et laudes beatæ Virginis concinunt.

✠. Erit in novissimis diebus mons præparatus Virginis Mariæ in vertice montium, et elevabitur super cælos, et ibunt populi multi et dicent: * Venite et ascendamus ad montem. ✠. Sicut lætantium omnium habitatio est in te. — Venite.

Lectio vi.

Peregrinationes hujusmodi fidem frigescente sæculo excitasse,

ánimum ad christianam legem profitendam addidisse, cultumque Virginis Immaculatae mirum in modum auxisse, omnibus compertum est. In qua mirabili fidei professione christianus populus sacerdotes veluti duces habet, qui illuc suas plebes adducunt. Ipsi etiam sacrorum Antistites sanctum locum frequenter adeunt, peregrinationibus præsent, solemnioribusque festis intersunt. Nec adeo rarum est ipsos Romanæ Ecclesiæ purpuratos Patres humili peregrinorum more accedentes conspicere. Ipsi quoque Romani Pontifices, pro sua erga Immaculatam de Lourdes pietate, sacram ædem donis nobilissimis cumulaverunt. Pius nonus sacris indulgentiis, archiconfraternitatis privilegio ac minoris basilicæ titulo ipsam insignivit; ac Deiparæ imaginem ibidem cultam, solemniori ritu per legatum suum apostolicum in Gallia diademate distinctam voluit. Leo vero decimus tertius innúmera etiam contulit beneficia; indulgentias ad modum jubilæi

vigésimo quinto Apparitionis anno vertente concessit, peregrinationes sua auctoritate verbóque provéxit, ac solémnem Ecclesiæ sub titulo Rosárii dedicatióem suo nómine péragi curávit. Quorum beneficiórum amplitudinem cumulávit, cum, plúrium Episcopórum rogátu, solémne festum sub titulo Apparitiónis beatæ Mariæ Vírginis Immaculátæ, próprio Officio et própria Missa celebrándum benigne concessit.

R. Prævenisti eam Dómine in benedictiónibus dulcedinis: posuisti in cápite ejus, * Corónam de lápide pretiósio. **V.** Magna est glória ejus in salutári tuo, glóriam et magnum decórem impónes super eam. — Corónam. **Gloria Patri.** — Corónam.

In III. Nocturno.

Añã. Manus Dómini confortávit te, et ideo eris benedicta in ætérnum.

Añã. Noli metúere, non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

Añã. Benedixit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimicos nostros.

V. Diffúsa est grátia in

lábiis tuis. **R.** Proptérea benedixit te Deus in ætérnum.

Lectio sancti Evangelii secúndum Lucam.

Lectio viij. Cap. j. c

IN illo témpore: **M**est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Náza-reth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et réliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbátis.

Ex Hom. ij. super Missus.

Etare, pater Adam, sed magis tu, o Heva mater, exsulta, qui sicut ómnium paréntes, ita ómnium fúistis preemptóres; et quod infelicius est, prius preemptóres quam paréntes. Ambo, inquam, consolámini super filia, et tali filia: sed illa ámplius de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransivit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollátur opprobrium, nec hábeat vir quid causétur advérsus féminam; qui útique, dum se imprudéter excusáre conaré-tur, crudéliter illam

accusáre non cunctátus est, dicens: Múlier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curre Heva ad Mariam; curre mater ad filiam; filia pro matre respóndeat: ipsa matris opprobrium áuferat; ipsa patri pro matre satisfáciat: quia ecce si vir cécidit per féminam, jam non erigitur nisi per féminam.

R. Tu ergo ínvo-ca Dóminum, lóquere Regi pro nobis, * Et líbera nos de morte. **V.** Omnes sitiéntes veníte ad aquas, et hauriétis salutem a Dómino. — Et líbera.

Lectio viij.

Quid dicébas, o Adam? Múlier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malitiæ sunt hæc quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúm tamen Sapientia vicit malitiam, cum occasiõem vénia, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesauro indeficiéntis suæ pietátis invénit. Rédditur nempe fémina pro fémina, prudens pro fátua, húmilis pro superba, quæ pro ligno mortis gustum tibi

pórrigat vitæ, et pro venenóso cibo illo amaritudinis, dulcedinem páriat fructus ætérni. Muta ergo iniquæ excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiÓnis, et dic: Dómine, múlier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim ad hoc missus est Angelus ad Vírginem. O admirándam et omni honóre digníssimam Vírginem; o féminam singulariter venerándam, super omnes féminas admirábilem, paréntum reparatricem, posterórum vivificatricem.

R. Plantávit Dóminus Deus paradísium voluptátis, produxitque lignum vitæ in médio ejus. * Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis. **V.** Emissiões tuæ paradísus, Virgo María. — Et flúvius. **Gloria Patri.** Et flúvius.

In Quadrag. Lectio ix. de Homilia Feriæ; alias,

Lectio ij.

Quam tibi áliam prædixisse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait: Inimicitias ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dúbitas, quod de

María díxerit, audi quod séquitur : Ipsa cónteret caput tuum. Cui hæc serváta victória est, nisi Maríæ? Ipsa procul dúbio caput contrivit venenátum, quæ omnimodam maligni suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirebat, cum dicebat : Mulierem fortem quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexus infirmitátem, frágitale corpus, lúbricamentem. Quia tamen et Deum légerat promísisse, et ita vidébat congruere, ut qui vícerat per féminam, vincerétur per ipsam, veheménter admirans aiébat : Mulierem fortem quis invéniet? Quod est dícere : si ita de manu féminæ pendet et nostra ómnium salus, et innocéntiæ restitútio, et de hoste victória : fortis omnino necesse est ut provideátur, quæ ad tantum opus possit esse idónea.

Te Deum. 20.

AD LAUDES,
et per Horas, Añæ.

I. Candor est lucis ætérnæ, * et spéculum sine mácula.

2. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * et in cápite ejus coróna stelarum duódecim.

3. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, * tu honoríficéntia pópuli nostri.

4. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélsio, præ ómnibus muliéribus super terram.

5. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, * ut non recédát laus tua de ore hóminum.

Capítulum. Cant. ij.

Surge amíca mea, speciosa mea, et veni colúmbe mea in foráminibus petrae, in caverna macériae, osténde mihi faciém tuam, sonet vox tua in auribus meis.

Hymnus.

Auróra soli prævia
Felix salutis nuntia,
In noctis umbra plebs tua
Te, Virgo, supplex invocat.

Torrentes nefastis flúctibus
Cunctos trahens vorá-
gine,

Leni residit æquore
Cum transit Arca fœderis.
Dum torret aréscens humus,

Tu rore sola spargeris;
Tellúre circum rorida,
Intácta sola pérmans.

Fatále virus évomens
Attóllit anguis vérticem;
At tu draconis túrgidum
Invícta cónteris caput.

Mater benigna, respice
Fletus precésque súpl-
cum,

Et dimicantes tártari
Victrix tuere ab hósti-
bus.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,

In sempitérna sæcula.

Amen.

¶ Diffúsa est grátia in
lábiis tuis. ✠. Propterea
benedíxit te Deus in ætér-
num.

Ad Bened. Añæ. Præclá-
ra salutis auróra, ex te,
Virgo María, exívit sol ju-
stítiae, qui visitávit nos
óriens ex alto.

Oratio.

Deus, qui per Immacu-
látam Virginitis Con-
ceptiónem dignum Fílio
tuo habitáculum præpa-
rásti : súpplices a te quæ-
sumus; ut ejúsdem Vir-
ginitis apparitiónem cele-
brantes, salutem mentis
et córporis consequá-
mur. Per eúmdem Dómi-
num.

In Quadrag. Commem.
Feriæ.

AD TERTIAM.

Capitulum. Surge. ut in Laud.

✠. br. Quæ est ista quæ
ascéndit de deserto, * De-
liciis áfluens? Quæ est
ista. ✠. Inníxa super dilé-
ctum suum. Deliciis áf-
fluens. Glória Patri. Quæ.
✠. Vidérunt eam filia
Sion. ✠. Et beatíssimam
prædicavérunt.

AD SEXTAM.

Capítulum. Eccli. xxiv.

Mecum sunt divítiae et
glória, opes supér-
bæ et justítia : mélior est
enim fructus meus auro et
lápide pretióso.

✠. br. Ego mater, * Pul-
chræ dilectiónis. Ego ma-
ter. ✠. Et timóris, et agni-
tiónis, et sanctæ spei. Pul-
chræ dilectiónis. Glória
Patri. Ego mater.

¶ In me omnis grátia
viæ et veritátis. ✠. In me
omnis spes vitæ et vir-
tútis.

AD NONAM.

Capítulum. Eccli. xxiv.

In me grátia omnis viæ
et veritátis, in me om-
nis spes vitæ et virtútis.
Transíte ad me omnes qui
concupiscitis me, et a ge-
neratióibus meis implé-
mini.

✠. br. Qui me invénerit,
* Invéniet vitam. Qui me.

✠. Et háuriet salútem a Dómino. Invéniet vitam. Glória Patri. Qui me invenerit.

✠. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me. ✠. Et a generatióibus meis implémini.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laudibus. [446] Psalmi ut in Festis B. M. V. [191]

Hymnus.

Omnis expértem máculæ Mariam Edocet summus fidei magister; Virginis gaudens célebrat fidélis

Terra triúmphum. Ipsa se præbens húmili puéllæ

Virgo spectándam, récreat pavéntem, Seque concéptam sine la-be, sancto

Prædicat ore.

O specus felix, decoráte divæ

Matris aspéctu! veneránda rupes, Unde vitáles scatuére ple-no

Gúrgite lymphæ.

Huc catervátim pia turba nostris,

Huc ab extéris peregrí-
na terris

Affluit supplex, et opem poténtis

Virginis orat.

Excipit Mater lácrymas precántum,

Donat optátam míseris sa-lútem;

Compos hinc voti pátrias ad horas

Turba revértit.

Súpplicum, Virgo, miserá-ta casus,

Semper o nostros réfove labóres,

Impetrans mœstis bona sempitérnæ

Gáudia vitæ.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi compar utriúsque virtus

Spiritus semper, Deus unus omni

Témporis ævo. Amen.

✠. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. ✠. Da mihi virtútem contra hos-tes tuos.

Ad Magnificat, Aña. Hódie gloriósa cœli Regina in terris apparuit; hódie pópulo suo verba salútis et pignora pacis áttulit; hódie Angelórum et fidélium chori Immaculátam Conceptionem celebrán-tes gáudio exsúltant, al-lelúia.

In Quadr. Comm. Feriæ.

DIE XIII. FEBRUARII.
S. Catharinæ de Ricciis
Virginis. Duplex.

Omnia de Communi Vir-
ginum [122] præter seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatam Cathari-nam Virginem tuo amore succensam, passionis con-templatione clarescere voluisti: ejus intercessionem concede, ut passionis mystéria devote recolentes, ejus fructum percipere mereamur. Qui vivis.

Commem. Feriæ in Qua-
dragesima.

Inj. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.

In Quadr. Lect. De vir-
ginibus. [128]

In II. Nocturno.

Lectio II.

Catharina, nobili fa-
milia de Ricciis
Floréntiæ nata,
vel ab ineunte ætate
piam indolem præmatúre
osténdit. In suburbáno
monastério sancti Petri
de Monticéllis, ubi mo-
rum disciplina imbuerétur,
collocáta, quotidie
ad Christi crucifixi imá-
ginem orans, non sine lá-
crymis, horis étiam ánimi
relaxatióni addictis, ejus

passiónem meditabátur.
Ad monastérium póstea
sancti Vincéntii, órdinis
sancti Domínici, in civi-
tate Prati transláta, pa-
térnos lares ad tempus
repétere, nisi certa spe ré-
ditus hábita, constánter
recusávit. Tandem anno
décimo tértio, sæculi de-
liciiis contéptis, ibidem
religiósum institútum
proféssa est.

✠. Propter veritátem, et
mansuetúdinem, et justí-
tiam: * Et dedúcet te mi-
rabíliter dextera tua.

✠. Spécie tua et pulchri-
túdine tua, inténde, pró-
spere procéde, et regna.
— Et dedúcet.

Lectio V.

Caritate in Deum fer-
vens, oratióni fere as-
sidue vacábat, quidquid
témporis necessáriis occu-
pationibus et módicæ
quiéti supérrat, in ea
insúméns; utque corpus
in servitútem redígeret,
férrea caténa et flagéllis
illud macerábat. Cibi par-
císsima, octo supra qua-
dragínta annos cárnibus
abstínuit, legumínibus
plerúmque et herbis ve-
scens, intérdum vero solo
pane et aqua conténta.
Proximórum ætérrnam sa-

lútem exóptans, ardentí-
simas ad Deum pro pec-
catorum conversióne pre-
ces fundébat. Tanto étiam
commiseratiónis sensu
erga purgántem ánimam
commóta est, ut acerbí-
simos dolóres sibi divini-
tus inflictos in pœnárum
illi debitárum expiatióne
per tulísse visa sit. Exímia
prudéntia et reguláris
observántiæ zelo moniáles
diu rexit, eas non minus
exémpló, quam adhortatió-
nibus ad omnem sanctimóniam
inórman. Quo in officio
humilitátem ádeo cóluit, ut
abjectíssima quæque ópera
sponte obíret, ac infirmis
præcipua caritáte et summo
stúdio inservíret.

R. Dilexisti justítiam, et
odísti iniquitátem: *Pro-
ptérea unxit te Deus, Deus
tuus óleo lætítiæ. **V.** Pro-
pter veritátem, et mansue-
túdinem, et justítiam. —
Proptérea.

Lectio vij.

Supernórum charísma-
tum cópia singuláris
in ea enítuit ánnulo de-
sponsatiónis, sacrísque
stigmátibus, quæ non se-
mel spectánda se exhibué-
runt, accéptis. Plúrium
annórum spátio, quinta et

sexta féria in altíssimam
contemplatióne rapta,
singulos Redemptóris cru-
ciátus in passióne tolerá-
tos ex órdine in córpore
mirabíliter sentíre consué-
vit. Prati degens, sanctum
Philíppum Nérium Romæ
commorántem vidére pro-
mérui, ejúsque collóquio
frui. Ecstasum, ráptum,
cœléstium visiónum, ac
prophétici lúminis dono
illústris, futúra prædíxit,
ac simul occúltare revelávit.
Grávibus déniq;e morbis
decúbens, Ecclesiæ sa-
craméntis munita, anno a
Christo nato millésimo
quingentésimo nonagési-
mo, ætátis sexagesimo
nono, quarto Nonas Fe-
bruárii in cœlum migrá-
vit. Eam subínde Clemens
duodécimus beatárum
Virginum número, Bene-
díctus vero decimusquár-
tus, Póntifex máximus,
solémni ritu sanctárum
Virginum fastis ascrípsit,
anno salutis millésimo
septingentésimo quadra-
gesimo sexto.

R. Afferéntur Regi. [133]

In iij. Nocturno, Homilia.

Sæpe vos, fratres. **de eo-
dem Communi.** [136]

**In Quadrag. Lectio ix. de
Homilia et Comm. Feriæ.**

DIE XVII. FEBRUARII.
Fugæ D. N. J. C.
in Ægyptum.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

**Añæ et Capitulum de
Laudibus.** [457]

**Psalmi ut in Festis B.M.V.
per Annum.** [191]

Hymnus.

Regem treméndæ gló-
riæ
De stirpe promíssum
Abrahæ,

Venísse, reges índicant;
Natúmque regi núntiant.

Tyránnus ira flúctuat,
Morti Puéllum déstinat,
Sed Virgo Mater cœlitus
Edócta, ferro súbtrahit.
De ferre natum ad éxteras
Festinat Ægypti plagas,
Nec jam quiescit, Fílium
Quoúsque tutum cónspi-
cit.

At tu parens fortíssima,
Quæ sancto amóre sáucia
Advérsa quæque despícis,
Fugæque damna sústines:
Tuis adésto sérvulis
Rebus quibúsque in ár-
duis,

Quos culpa fecit éxsules,
Redíre fac in pátriam.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spirítu
In sempitérna sæcula.

Amen.

**Sic terminantur Hymni
ad omnes Horas.**

V. Accépit Joseph Púe-
rum et Matrem ejus nocte.
R. Et secéssit in Ægy-
ptum.

Ad Magnif. Añæ. Ecce
Angelus Dómini apparuit
in somnis Joseph dicens:
Surge, et áccipe Púerum
et Matrem ejus, et fuge in
Ægyptum, et esto ibi us-
que dum dicam tibi: fu-
túrum est enim, ut Heró-
des quærat Púerum ad
perdéndum eum.

Oratio.

Protéctor in te sperán-
tium, Deus, qui Uni-
génitum tuum Redem-
ptórem nostrum ex He-
ródis gládio fuga in Ægy-
ptum erípere voluísti:
concède nobis fámulis
tuis, beatíssima semper
Virgine ejus matre María
intercedénte; ut ab óm-
nibus mentis et córporis
periculis liberáti, ad cœ-
léstem pátriam pervenire
mereámur. Per eúmdem
Dóminum.

**In Quadrag. fit Commem.
Feriæ.**

AD MATUTINUM.

Invit. Salvatórem Dómi-
num nostrum Jesum Chri-
stum fugiéntem in Ægy-

ptum, * Veníte adoré-
mus. *Ps.* Veníte. 2.

Hymn. ut inj. Vesp. [451]

In I. Nocturno.

Añã. Accépit Joseph Pú-
erum et Matrem ejus nocte,
et secéssit in Ægyptum.

Psalmi trium Nocturn.
ut in Festis B. M. V. [194]

Añã. Erat ibi usque ad
óbitum Heródis.

Añã. Fuit Dóminus cum
Joseph in Ægypto.

℟. Ex Ægypto. *℣.* Vo-
cávi Fílium meum.

De Oséa Prophéta.

Lectio j. *Cap. xj.*

Sicut mane tránsiit,
pertránsiit rex
Israel. Quia puer
Israel, et diléxi eum : et ex
Ægypto vocávi Fílium
meum. Vocavérunt eos, sic
abiérunt a fácie eórum :
Báalim immolábant, et
simulácris sacrificábant.
Et ego quasi nutricius
Ephraim, portábam eos in
bráchiis meis : et nescié-
runt, quod curárem eos.
In funículis Adam traham
eos, in vínculis caritátis :
et ero eis quasi exáltans
jugum super maxíllas eó-
rum : et declínávi ad eum,
ut vescerétur. Non rever-
tétur in terram Ægypti,
et Assur ipse rex ejus :
quóniam noluérunt con-

vértil. Cœpit gládius in ci-
vitatibus ejus, et consu-
met eléctos ejus, et cóm-
edet cápita eórum. Et pó-
pulus meus pendébit ad
réditum meum : jugum
autem imponétur eis si-
mul, quod non auferétur.

℟. Dicit Dóminus, de-
scénde in Ægyptum : ego
descéndam tecum illuc :

* Et ego inde addúcam te
reverténtem. *℣.* Surgens
Joseph accépit Púerum et
Matrem ejus nocte. — Et.

De Isaía Prophéta.

Lectio ij. *Cap. xix.*

Ecce Dóminus ascén-
det super nubem le-
vem, et ingrediétur Ægy-
ptum, et commovebúntur
simulácrã Ægypti a fácie
ejus, et cor Ægypti tabé-
scet in médio ejus. Et
concurrere fáciem Ægy-
ptios advérsus Ægyptios :
et pugnábit vir contra
fratrem suum, et vir con-
tra amicum suum, civi-
tas advérsus civitátem,
regnum advérsus re-
gnum. Et dirumpétur spí-
ritus Ægypti in viscéri-
bus ejus, et consílium
ejus præcipitábo : et in-
terrogábunt simulácrã
sua, et divínos suos et py-
thónes et ariolos. Et tra-
dam Ægyptum in manu

dominórum crudélium, et
rex fortis dominábitur eó-
rum, ait Dóminus Deus
exercítuum.

℟. Rex noster advéniet
Christus, * Quem Joánnes
prædicávit Agnum esse
ventúrum. *℣.* Super ipsum
continébunt reges os
suum, ipsum gentes de-
precabúntur. — Quem.

Lectio iij. *Cap. xix.*

In die illa erit altáre
Dómini in médio ter-
ræ Ægypti, et título Dó-
mini juxta términum ejus
erit in signum, et in testi-
mónium Dómino exercí-
tuum in terra Ægypti.
Clamábunt enim ad Dó-
minum a fácie tribulántis,
et mittet eis salvatórem
et propugnatórem, qui lí-
beret eos. Et cognoscétur
Dóminus ab Ægypto, et
cognóscet Ægyptii Dó-
minum in die illa, et colent
eum in hóstiis et in muné-
ribus : et vota vovébunt
Dómino et solvent. Et
percútiét Dóminus Ægy-
ptum plaga, et sanábit
eam, et reverténtur ad
Dóminum, et placábitur
eis, et sanábit eos. In die
illa erit via de Ægypto in
Assyrios, et intrábit Assy-
rius Ægyptum, et Ægy-
ptius in Assyrios, et sér-

vient Ægyptii Assur. In
die illa erit Israel tértius
Ægyptio et Assyrio : benedí-
ctio in médio terræ, cui
benedíxit Dóminus exer-
cítuum, dicens : Benedí-
ctus pópulus meus Ægy-
pti.

℟. Ecce ab Austro vénio
ego Dóminus Deus vester,
* Visitáre vos in pace.

℣. Aspiciam vos et cré-
scere fáciem; multiplica-
bimini et firmábo pactum
meum vobíscum. — Visitá-
re. *Gloria Patri.* Visitáre.

In II. Nocturno.

Añã. Heródes, videns
quóniam illúsus esset a
Magis, irátus est valde.

Añã. Mittens Heródes,
occídit omnes púeros, qui
erant in Bétlehem et in
ómnibus finibus ejus.

Añã. A bimátu et infra
occídit multos púeros He-
ródes propter Dóminum.

℣. Vox in Rama audíta
est. *℟.* Plorátus et ululá-
tus multus.

Sermo sancti Joánnis
Chrysóstomi.

Homilia viij. in Matth.

Lectio iv.

QUR in Ægyptum
puer mittitur? Cau-
sam in primis pró-
tulit Evangelista dicens :

Ut impleretur illud : Ex Ægypto vocavi Filium meum; simulque bonæ spei præcemia toti orbi prænuntiabantur. Quia enim Bâbylon et Ægyptus plusquam reliquus orbis impietatis ardébant flamma, ab exordio declârans, se ambas illas regiones emendaturum, et ad meliôra deducturum, simulque per hæc indicans etiam toti terrarum orbi bona exspectanda esse, et Magos misit, et ipse cum Matre sua profectus est. Ad hæc vero aliud etiam inde docemur, quod non parum nos ad philosophiam incitet. Quodnam illud? Quod ab ipso initio tentationes et pericula sint exspectanda. Vide namque, id ipsi ab incunabulis accidisse. Nam illo nato furit tyrannus, hinc fuga et transmigratio in exsiliu locum, et insons Mater in barbarorum regionem se proripit.

R. Ægypte, noli flere, quia Dominator tuus veniet tibi, ante cujus conspectum movebuntur abyssi, * Liberare populum suum de manu potentia. **V.** Ecce veniet

Dominus exercituum, Deus tuus cum potestate magna. — Liberare.

Lectio v.

HOC exemplo fultus fortiter feras, gnarus, hanc cum primis esse spirituum virorum sortem, ut ubique tentationibus impetantur. Animadvertetur igitur, id non solum Pueri Matri accidere, sed etiam barbaris illis; nam et illi clam discunt quasi fugitivi, et hæc, quæ nunquam e domo egressa fuerat, tam longum et ærumnosum iter suscipere jubetur ob mirabilem hunc editum Puerum et spiritualem partum. Rem iterum stupendam considera. Palæstina insidiatur, Ægyptus vero excipit, et servat insidiis impetitur. Neque enim tantum in filiis patriarchæ, sed etiam in Domino typi et figuræ contigerunt. Per ea enim, quæ ab ipso gesta sunt, multa prænuntiabantur eorum, quæ postea eventura erant: quod et in asina, et in pullo factum est. Angelus igitur, qui apparuit, non Mariam, sed Josephum alloquitur: et quid dicit? Surge, accipe Puerum et Matrem ejus.

Hic non ultra dicit, conjugem tuam, sed Matrem ejus. Quia enim partus contigit, suspicio soluta est, et viro fides facta est, libere jam loquitur Angelus, neque filium, neque conjugem ejus dicens; sed, Puerum et Matrem ejus: et fuge in Ægyptum; fugæque causam addit: futurum est enim, inquit, ut Herodes quærat animam Pueri.

R. Cognoscetur Dominus ab Ægypto. * Et cognoscant Ægyptii Dominum in die illa. **V.** Clamabunt ad Dominum a facie tribulantis, et mittet eis Salvatorem. — Et cognoscant.

Lectio vj.

HOC vero Virginem ipsam non mediocriter claram efficit et illustrem. Nam quod totus populus encómii loco habebat, hoc ipsum habere potuit et ipsa. Quod enim altum sapiébant et sese jactabant ob reditum ex Ægypto, (id quod subindicans Propheta dicebat: Nonne alienigenas adduxi de Cappadocia, et Assyrios ex fovea?) illud ipsum prærogativam Virginis facit. Imo vero et populus, et patriarcha descendentes

et ascendentes, inde istius ascensus, seu reditus typum implébant: nam illi descendérunt, ut mortem ex fame imminentem effugerent; hic vero, ut vitaret mortem insidiis paratam. At illi eo venientes ex fame tunc liberati sunt; ille vero, ut eo descendit, regionem totam per adventum suum sanctificavit. Consideres itaque velim, quomodo inter humilia, quæ ad divinitatem pertinent, revelentur. Etenim cum dixit Angelus, fuge in Ægyptum, non promisit, se itineris comitem futurum, vel descendéntibus, vel redeúntibus, subindicans, illos magnum habere comitem, recens natum Puerum, qui statim atque apparuit, omnia mutavit.

R. Sancta et immaculata Virginitas, quibus te laudibus offeram, nescio. * Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio in Ægyptum contulisti. **V.** Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. — Quia. **Gloria Patri.** Quia.

In III. Nocturno.

Añã. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Dó-